

colunt? de eius etia  
cedo p picius: ut a  
annua solentate la  
martyr: tu a  
**D** eius qui nos  
ficus. Sicut ut palm  
**S**tephani pape et  
quod propheta do  
participatione reco  
quod in memoriam  
quibus omnipotet  
pianus. p. **Alia cor**  
gerim? certa redem  
nosse: ut quod pia  
mine questum do  
precioso sanguinis  
**C**omplendo. **Q**uod  
**R**etatio de apst  
fidem crecat et ga  
tractamus: quibus  
martyrū honore de  
**Q**uia domine m  
nos semp et mima  
**O** blati tibi sacrifici

**de apostolis. Colleta.**  
Inunctio. **per totum** k yrieleto.  
**Ad vincula sancti petri offic.**  
Ista desideria compleantur. p.  
hery et vicia nostra purgent: et  
hant domine operatione my  
Desunt in meralia. **Lob. Per**  
**Lom.** rior die dona cocillet. p.  
tatis ad soluat: et tunc nobis mite  
rimus: et vincula nostre prau  
rum naturalia recedentes offe  
domine quam sanctorum tuo  
deus. **Sect.** **N**ostia hec quam  
persequitur. **De** **Ab**irabilis  
descendens ielus. **Mal.** **Lum**  
**Allegoria. X.** Sicut aut. **Euanget.**  
**fol. dm. 230.** **S**olozius deus.  
**Epla.** **S**piritus agere debem?  
habebis habere. **Per** domini  
ad omnibus merentur aduer  
tuorum intercedentibus? meritis:  
veniam peccatorum: ut sanctorum  
comitibus: da famulis tuis tuorum  
venendi copiosum munus. **Gre**





Capitulum  
D. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

Capitulum  
D. 1. 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15. 16. 17. 18. 19. 20. 21. 22. 23. 24. 25. 26. 27. 28. 29. 30. 31. 32. 33. 34. 35. 36. 37. 38. 39. 40. 41. 42. 43. 44. 45. 46. 47. 48. 49. 50. 51. 52. 53. 54. 55. 56. 57. 58. 59. 60. 61. 62. 63. 64. 65. 66. 67. 68. 69. 70. 71. 72. 73. 74. 75. 76. 77. 78. 79. 80. 81. 82. 83. 84. 85. 86. 87. 88. 89. 90. 91. 92. 93. 94. 95. 96. 97. 98. 99. 100.

D. 9.

D. 9.

**D**eus qui scitis tuos abdon **Evangelium**








ORATIO  
**DE RERUM**  
**PUBLICARVM**  
**ET IMPERIORUM**  
 MUTATIONIBUS, EARUN-  
 DEMq; CAUSSIS: IN ILLUSTR  
 & celebri WITBERGENSIUM  
 Academia conscripta & recitata

AB  
**HENRICO à GEIS-**  
**LER NOBILISSI-**  
**LESIO.**

*Die 16. Februarij, Anno*  
*X. M. DC. VII.*



WITBERGÆ,  
 Typis Martini Henckelij, Anno Christi  
 M. DC. VII.





MAGNIFICIS  
*Nobilitate generis, Natalium Splendore, Heroica virtute, & longa rerum experientia  
excellentissimis viris*

D N.

AURELIO WITFELT  
de Odersberg Regni Danici Senatori, & Cancellario dignissimo, Regio in Dynastia  
Dragisholmiana Vicario, liberae in Herloviana, Holmia Palaestrae tutori, Musarum Fautori optimo.

& D N.

FRIDERICO à Knobelsdorff/  
DOMINO in Kunzendorff/ Ollersdorff/ Pilgersdorff/ Merzdorff/etc. Nobili in districtu  
Lignicensi Silesiorum primario.

NEC NON

*Amplissimo & praestantissimo viro,*  
Dn. ANTONIO SCHOLZ IN Siegendorff/  
*Consiliario Principum Lygio-bregensium dignissimo.*

Dominis & Patronis suis plurimum honorandis  
Hoc exercitium Oratorium debitae observantiae ergo  
Offert  
& Consecrat

HENRICVS à GEISLER.







# ORATIO

De Rerump. atq; Imperiorum mu-  
tationibus, earundemq; causis.

**R**eter alia multa, quæ præclarè, & laudabiliter à D. Augustino dicta ac scripta sunt, viri prudentiâ, Dignitate, Virtute, Eruditione singulari spectatissimi, nec non auditores ornatissimi, tum, haud scio, an quicquam pulchrius pronuncatum sit, quo scriptum reliquit: Duo esse in vita humana, Nasci & Mori. Quod sanè dictû, licet propriè de hominis conditione, miseria & calamitosa prolatum fuerit: quo minus tamen illud etiã tum ad alia multa, tum imprimis verò ad Imperia atq; Respubl. accommodari queat, nihil est quod prohibere videatur. Quemadmodû n. vita humana perpetuis subjecta est mutationib. atq; vicissitudinibus: ita eadem quoq; Imperiorum ac Rerumpub. est conditio, quorû quadam ex tenuissimis fundamentis ad summa fastigia evehuntur, alia verò de summo culmine deijciuntur, solo æquantur, ac in nihilum rediguntur. Id quod etiam præter alios Seneca, author ille gravissimus, suo calculo comprobare videtur, dum dicit: Nihil certè eodem loco mansit, quo genitum est. Notum vobis est, Auditores, illud Poeta:

Perpetuum nihil est, toto, quod perstet, in orbe.

Quæ etsi aliquantò durius dicta videantur: rem tamen accu-

A B

ratius

Exordium

Augustini  
dictum

Imperiorû  
vicissitudo

Seneca de  
consolatio-  
ne ad Albi-  
nam.



ratius ponderantes, veroverius, illud esse deprehendemus. Quo-  
 cunq; enim oculorum aciem converteris, aut quascunq; Terrae par-  
 tes perlustraveris, nullibi, aut certe rarissimè, talem invenies ter-  
 ram, ubi incolae gloriari poterunt, se nullas migrationes aut exa-  
 ctiones perpeffos esse, sed ut primitus terram suam occuparint, ita  
 adhuc eandem possidere. Ac si maximè hoc detur, quod tamen fieri  
 posse, vix concedam: ecquae Natio, quae Gens, quae Familia, suam  
 sine omni hiatu originem à primis illis fundatoribus, Chamo puta,  
 Semo & Iaphete, producere potens est? aut quis suae Gentis propa-  
 gationem ita purè à primà origine conservatam fuisse dicet, ut ho-  
 die non exotici, & quasi insititij in ea reperiantur? ubi non omnia  
 potius permixta confusa, perturbata conspiciantur? & ubi non a-  
 lius alij successerit: hic concupiverit, quod alius fastidierit: &  
 Ille, unde expulerat, iterum ejectus fuerit. Ac ne quis hac teme-  
 rè, atq; sine ratione à me dici suspicetur. En vobis ob oculos ponite  
 exempla, non quidem exotica longèq; distita, sed nostrorum potissi-  
 mum hominū, quàm varias & mirandas mutationes ac migratio-  
 nes hic accidisse deprehendetis? An non Suevi, qui nunc plus quàm  
 60. miliaribus ab hinc in Rhetia habitant, olim in his regionibus,  
 ad Albim sua habuere domicilia? Quis credat, à Francis Gallos,  
 à Saxonibus Anglos ortum traxisse suum? atq; haec clarissima An-  
 tiquitatis monumenta, quibus fidem derogare, non modo absurdi-  
 tatis, sed & extrema dementia esset, testantur. Dicuntur hodie  
 quidem communi nomine Galli, dicuntur Itali, dicuntur Angli,  
 dicuntur Hispani, qui in illis regionibus domicilium hodie sedemq;  
 suam habent: quod si verò cuiq; terra sui cultores inde ab initio  
 recensendi essent, na credo ego, plus quàm ex triginta nationibus  
 atq; populis unamquamq; coaluisse nationem diceret: ita ut ter-  
 ra quidem quaelibet una & eadem manserit, incolae verò subinde  
 mutati sint: adeò ut si veterum illos historiarum coriphæos, in pri-  
 mis verò Cornelium Tacitum, hodie resurgere contingeret, ille  
 hanc,

Seneca di-  
 cto loco.



hanc, quam descripsisset, Germaniam esse negaret. Quod idem etiam iudicium de reliquis nationibus omnibus statui posse, omnino persuasum habeo. Nihil ergo, ut modo citati iam Philosophi sententiam repetam, eo loco, quo genitum est, permansit, sed omnia permixta & inſtituta sunt. Falsissimum igitur, ac vanissimum censendum esse, illud Romanorum delirium, quo Urbem suam aeternam fore finxerunt, quis est, qui non videat? Vt enim iam nihil dicam de Maronis illo, dicentis.

Imperium sine fine dedi:

Deam etiam quandam peculiarem fecerunt, cui & templum extruere nihil pensi habuerunt, uti videre est apud Tacitum. Non minori audacia atq; delirio Athenienses quoq; in sua se natos esse terram gloriantes, occupatos fuisse legimus, quod tamen non modo falsissimum, sed & plane impium fuisse, Sole meridiano clarius patet. Multo igitur rectius Philo singulorum fortunas, & regionum integrarum & Gentium mutationes in melius ac deterius tanquam choreas in orbem duci asserit. Quod idem elegantissima illa Sapientum similitudo, quam tum aulicam, tum totam mundi conversionem Arithmeticis calculis, quorum unus idemq; aeneus mox decem milia coronatorum, modo vix obulum, pro diversa collocatione valet, modo amissus, sub scamnis in pulvere longos in annos aruginem contrahit, comparant, indicare videtur. Etsi autem in harum vicissitudinum atq; mutationum causis indagandis Ethnicos summam operam, curam atq; industriam collocasse minimè negamus, eos tamen nunquam illas satis scrutari atq; exponere potuisse, de historicorum monumentis intelligimus. Non inanem igitur operam sumeris, qui in veris harum mutationum causis eruendis, quas partim humana sapientia, partim vero, & quidem maximam ex parte divina nobis indicant miracula, occupatus esse velit: Quare & me non operam perditurum spero, si de his pro virili paucis disseruero. Quamvis autem (Auditores) ingenuè sateri necesse habeam, me

A 3

nullam,

Virg. l. 1.  
Æneid.

Tacit. l. 14.

in lib. quod  
Deus sit  
immortalis.

Propositio.



nullâ, præsertim cum meo me pede ac modulo metior, & vires ingenij mei accuratius perpendo, suaviter & ornatè dicendi facultate instructum esse, tamen cum à Doctissimo Dn. Magistro, Præsede hujus orationis meæ dignissimo, hæc mihi dicendi provincia demandata sit, ipsius ego auctoritatem aspernari, voluntatem negligere, nec volui, nec debui, onus itaq; hoc quod quidem viribus meis impar esse agnosco, suscepi, atq; ita ei hæc in re, licet non omni, tamen aliqua saltem ex parte satisfacere conabor, quod dum perago, à Vobis (Auditores ornatissimi) omnibus ac singulis peto atq; contendo, ut mihi breviter & modicè de mutationibus Rerumpub. atq; Imperiorum, verborum aliquid facienti benignas præbere aures non dedignemini.

Narratio.

Atq; ut hinc (Auditores lectissimi) orationis meæ proficiatur cursus, in quo totius rei Cardo vertitur, proponite quasò vobis Imperiorum quorumcunq; conditionem ante oculos, & videte, an in illis quid, quod fixum, perpetuum, solidum, non fluxum, inconstans, caducum deprehendere queatis? Vbi enim Tyrriorum Colonia, Romanæ gloria, & imperij æmula Carthago, quæ hominum in civitate millia septuaginta, trecentas in Lybia urbes habuit? perijt. Vbi Græciæ illud bonarum artium in toto terrarum orbe celebratum domicilium Respub. Atheniensis? perijt. Vbi famosissima illa Chaldaeorum Metropolis, Babylon, cujus ambitum milliaria germanica duodecim continuisse, Plinius testis est? Perijt. Vbi Seleucia illa ad Tigrim, quæ splendore, pulcritudine atq; magnitudine Babyloniæ superasse, perhibetur? perijt. Vbi aureum illud caput, & imperium Babylonicum? cum Balthasare ad nihilum redactum esse. Vbi argenteum pectus & regnum Persarum? in Dario Codomanno cecidit. Vbi æneus ille venter, & robur invictum Macedonum? in Alexandro Magno contabuit. Hoc autem non aliter, quam hæcenus enumeratum, se habere, non solum experientia quotidiana, verum etiam sapientissimi qui suo calculo comprobare poterunt, qui crebras illas

Cartho.

Athenæ.

Babylon.

Plinius lib.

6. Nat. hist.

c. 26.

Seleucia.



bras illas ac varias Imperiorum ac Rerumpub mutationes ad accuratorem rationis trutinam revocantes, omnibus temporibus certas metas & quasi fatales regnorum periodos observasse leguntur; ita ut quaedam quingentesimo, quaedam septingentesimo anno, quaedam media horum parte perpeti mutationes, & vel enervari, vel etiam planè ad nihilum redigi deprehendantur. Vnde & Phœnix ille Germaniæ, Philippus Melanchthon, Quingentesimum annum Imperiis plerumq; fatalem esse exclamare est solitus. Id quod pluribus exemplis, si temporis ratio pateretur, demonstrari posset. Et ut ex multis pauca tantum retractem, Assyriorum in Asia imperium annos quingentos & viginti durasse: regni gubernacula à Saule ad Sedechiam usq; annos quingentos & quinq; Iudeorum Reges obtinuisse: finitis quingentis & duobus annis Monarchiam à Iulio Casare institutam fuisse mutatam; post quadringentos & octuaginta novem annos imperij sedem à Constantino Magno Constantinopolim translata esse: Persicam Monarchiam ducentis & octo annis elapsis aliò esse deductam: Romæ Reges circiter ducentos & quadraginta quinq; annos rerum potitos esse, certissimæ fidei antiquitatis monumenta testantur: quæ omnia & alia præterea plurima, si commemorare vellem, dies me citius, quàm verba, deficeret. Imò non in regnis modo atq; imperiis, sed & familiis nobilibus atq; illustribus idem contingere animadvertimus, quas non minus certis quasi temporibus suas experiri periodos: & vel prorsus interire, vel de imperij gradu, ac pristini splendoris culmine deijciac deturbari contingit. Quenam quæso Darij familiam non modo in Persia, sed & in toto propemodum orbe, augustior fuit atq; celebrior? attamen ultra ducentos annos non pervenit. Fuerunt in magno olim flore atq; autoritate apud Romanos Corneliorum, Fabiorum, Claudiorum, aliorumq; familia: veterum octingentesimum annum excedere minime potuerunt. Ut iam nihil de Italis, apud quos multa nobilissima ac illustrissima familia has quoq; mutationes sunt expertæ, dicam,

Terminus  
500. anno-  
rum fata-  
lis.

Assyriorum  
imperium.

Judeorum

Romanorum

Persicæ  
Monar-  
chiæ.  
Reges Ro-  
mani.

Familiarum  
illustrium  
periodus.

Persarum.

Romanorum

Italorum.

Germano-  
rum.



Expiatio-  
num gene-  
ra.

Germaniam nostram respicite: considerate quasò Caroli Magni, Conradi Saliqui & ceterorum virtutis laude clarissimorum Ducum familias: quas rarò ad nepotes aut trinepotes usq; eandem felicitatem atq; dignitatem obtinuisse constat. Quid multis opus? nonne Hennebergensis quoq; familia hanc fortunam experiri coacta est, quæ paucos ante annos planè fuit extincta? Cum itaq; circa hos annos tot tantasq; mutationes fieri, multi, præsertim, qui ad rerum gubernacula sederunt, animadverterent, certa quoq; expiationum genera, quibus imminentis fati atrocitatem placari posse putabant, excogitarunt: de quorum reliquiis illud venetorum quoq; adhuc hodie superesse videtur: qui, cum summam suam felicitatem in Maris tranquillitate positam esse sciant, quotannis die Ascensionis Dominica cum Mari fædus novum, injecto per Ducem Venetum annulo aureo inire solent: quem sanè ritum instituto potius Majorum, longoq; temporis usu, quàm approbatione divinâ confirmatum, ipsis non invidebimus: nos verò multò magis oraculorum divinorum memores cum D E O Opt. Max. qui cuncta omnipotentia sua regit & gubernat, fædus inibimus, hic nobis, ut favore suo & angelorum præsentia nos & nostra in perpetuum prosequatur, exorandus erit.

Mutatio-  
nes Impe-  
riorum  
semper  
porta  
aliqua an-  
tecesserunt.  
1. Reg. 15. v.  
28  
Pausan. in  
Achaic.  
Suetonius.

Quemadmodum autem hæc ita eventu ipso accidisse Sapientes omnibus temporibus diligenter notarunt: ita & illud non de nihilo esse observarunt, quod mutationes ac conversiones istius modi regnorum certa quedam prodigia atq; portenta, imò etiam oracula antecesserunt. Regni amissionem, Saulo Samuel prædixit. Macedonum potentiam ac gloriam bellicam sub Philippo uno partam, sub altero pessum ituram, Sybilla vaticinata est. Domitiani interitum prodigia ac portenta ita multa præcessisse. Historici referunt, ut ipse etiam affirmaret, futurum aliquid, cuius fama per totum orbem spargeretur: paucos antè menses, quàm occideretur, cornix in Capitolio has voces elocuta perhibetur: ἔσται πάντα καλῶς: benè cedent



cedent omnia. Quod ostentum sic quidam his inclusit versiculis;

Nuper Tarpeio quæ sedit culmine Cornix

EST BENE non potuit dicere, dixit ERIT.

Quod si de illis nunc portentis atq; prodigiis, quæ ultimam populi Iudæi internecionem ac *אבדו* anteceperunt, & de quibus Iosephus uberrime tractat, dicere mihi animus esset, horæ hujus angustiam vix complexuram esse censeo. His igitur prætermissis vela tandem ad rem ipsam dirigamus: & cum varia, eaq; diversa de hac questione hinc inde apud authores reperiantur opiniones, quarum præcipuas hoc loco considerandas suscipiemus, & quid de illis sentiendum sit, breviter ostendemus.

Ac primum quidem hic occurrunt ij, qui monstrum & portentum illud hominis, Epicurum, secuti regna atq; imperia, quemadmodum reliqua omnia, casu ac fortuito oriri & interire existimant. Alij communi matre, experientiâ freti, Imperiorum terminos, ut modo diximus, certis annis ceu cancellis quibusdam circumscribere non dubitant. Quidam, præsertim qui siderum rationes studiosius pensitant, ijsq; multum virium atq; efficacie attribuere non verentur, à cæli influentiâ, & Errantium stellarum cursu atq; aspectu mutationes Imperiorum pendere autumant: ex quo fit, ut singulis etiam Imperijs, singulis regnis atq; Rebus publicis sua certa præfiant sidera, quorum vi atq; efficacia ad consilia & actiones vel utiles vel perniciosas impellantur, ita ut pro diverso eorum positu vel secunda, vel adversa utantur fortuna: conserventur, floreat, mutantur, aut pereant.

Reperiuntur etiam, qui conditionem Imperiorum utcunq; pensitantes, partim natura, partim vitijs Præsidentium, partim Injustitiæ, ex parte etiam Ignorantiæ, Inscitiæ, Contumaciæ,

B

&amp; sedi-

Ioseph. in l.  
de bell. Jud.Imperiorum  
mutationis  
causæ.Casus for-  
tuitus.Annus fa-  
talis.Cæli influ-  
entia.



& seditioni subditorum, culpam mutationum harum tribuere videntur.

Natura ad  
lapsam  
tendens.

Et quod naturam quidem pertinet, idcirco eam mutationum in imperiis causam præbere asserunt, quia singula universo terrarum orbe ad lapsum ferri videmus: id quod non in hominibus interitui obnoxiiis; & cæteris animalibus, quibus similiter pereundum, cernere licet.

Si vitia & corruptelas gubernantium spectes, hæc Rebuspub. maximum inferre detrimentum videntur hac ratione, quando Gubernatores ad gubernaculi clavum primum admoti res moliuntur novas, pauperes & inopes negligunt, nec cuiq; pro personarum habitu & conditione jus dicunt, quæ corruptiones, si à Rebuspub. exularent, diuturniores easdem & quasi immortales quodammodo fore Philosophorum ille Princeps Plato asserit.

Injustitia.

Hæc quasi individuus comes & pedissequa semper comitatur Injustitia, quæ attestante Sacra scripturâ, pluribus regnis exitium attulit. Propter injurias enim, & contumelias & dolos, inquit sapiens Hebraeus, transfertur regnum à Gente in Gentem. Et quomodo quæso regnum constare poterit, si rapina & omnis generis flagitia atq; scelera impune in eodem dominantur, cum, teste Platone, Respublica imprimis conservetur propter mutuam communicationem, secundum aliquam proportionem, quæ justitiæ est: & cum malitia, secundum Ambros. ne unam quidem privatam familiam regere possit, quomodo quæso eadem integrum regnum aut Imperium possidere poterit?

lib. 2. off.

Inscitia &  
ignorantia  
Præfidum.

Huic succenturiatam quasi faciunt aliam perniciosam sororem, quando ad Rerumpublicarum gubernacula, qui nec ingenio, nec atate, nec auctoritate, nec rerum usu præstant, admoventur, quemadmodum & DEVS per Esaiam Prophetam, si Gentem aliquam



quam perdere velit, stultos & imperitos adolescentulos eidem se praefecturum minatus est.

His malis etiam adjungitur, quod subditi interdum beneficia Magistratum non agnoscunt, sed novitatis avidi ingratitude pro beneficijs illis exhibent, quod DEVS lege Iustitiae suae non inultum praeterire sinat; atq; ad hanc suam roborandam sententiam exempla quaedam scripturae sacrae, multa & illustria adducunt.

His deniq; omnibus fecundam quasi reliquorum matrem omnium annumerant, Seditioem, quando nimirum subditi conscientiae suae obliti, contra Magistratum divinitus sibi impositum nescio qua de causa nonnunquam consurgendo, bellum impium ac pestiferum excitare non dubitant, quod cum sit, suprema imis misceri necessum est. Quemadmodum enim ea corporis incommoda, quae extrinsecus homini obvenerunt, quam ea, quae intus radices suas egerunt, facilius curari possunt: ita & in Repub. citius bellis mederi externis, quam intestinis seditionibus possumus. Vnde factum, quod florentissimas saepenumero Respublicas partim diminutas, partim funditus deletas non aliam ob causam, quam seditiones, ex historiarum monumentis cognoscimus. Et haec quidem causae omnes, quae à Platone & alijs pro Rerumpublicarum mutationibus atq; vicissitudinibus afferuntur, uti scite, prudenter, & propè divinitus constituuntur: ita neq; illa planè rejici improbari possunt, quae de singularum Rerumpublicarum formis, earundemq; mutationum causis idem affert.

Recensentur ab eruditis, uti nostis Auditores, tria Rerumpublicarum genera, quorum unum multitudo populi administrat, unde & Democratia dici meruit: in altera penes paucos rerum summa consistit, quod propter praestantiam Aristocratia indigitatur: in tertio unus saltem Imperij habenas tenet, qui inde etiam

Ingratitudo subditorum.

Seditio civium.





communi & usitato nomine, quia solus Imperium gerit, Monarcha dicitur. Pro diverso igitur horum generum positu, diverse etiam mutationum afferuntur cause.

Et quidem Democratiam si spectes, qua omnium sapientum calculo maximè mutationibus obnoxia esse solet, primum omnium Ductores populi, & Adulatorum petulantia, ubi nimirum divites ac superiores calumniis onerando populum, contra potentes ac Nobiles excitant, mutationum causam non levissimam præbent: adulatio siquidem rectè & prudenter à Veteribus omnium vitiorum procreatrix dicta est. Ut enim fulminis ira sæpe cute illas ossa frangit: ædificia quatit magna: turres capita inter nubila condentes ferit, arbores celsas deicit: validissima alia quæq; adamante licet illa alligentur, penetrando corrumpit: ita Reges atq; Principes assentatio perdit, qua (ut D. Gregorius quodam in loco scribit) palpando incedit, caudaq; ferit: facit ut è Principibus, Rerumq; publicarum gubernatoribus pestes perniciosissimæ fiant: quibus pro lege voluntas; pro magnanimitate crudelitas: pro jure injuria: pro ratione libido; pro majorum deniq; institutis, animi intemperantia & impotentia est: quod quidem, si temporis ratio ferret, multis tum sacris, tum prophanis exemplis demonstrari & ob oculos poni posset: Sed cum alia nobis tractanda restent, lubens ea prætereo, & ad secundam mutationum Democraticæ gubernationis causam accedo, quam Plato nimiam gloriæ vel potentia Ductorum molem statuit, uni aut alteri concessam, qua & ipsa sæpenumero facem quasi seditioibus admovisse legitur, impulisse plurimos, ut opibus, gratiâ, potentiâ insignes viros expellerent, præsertim quos maximè suo instituto obstituros metuebant: Adjungit his etiam plebis inconstantiam & levitatem, imperitiam & naturale quasi odium adversus nobiles, Aristoteles.

Vt enim

In Dial.  
de regno.



Ut enim Luna facies quotidie serè aliã sumit formã; ita etiã  
 promiscua multitudo suo legitimo Magistratu non contenta, Do-  
 minos semper mutare conatur, unde fit, ut sæpe nata dissidia, exi-  
 gua quidem initio, magnam deinceps post se ruinam trahant. Has  
 igitur mutationis causas in Democratia Antiqui afferre solebant:  
 sed nec Aristocratia prætereunda, utpote, quæ non minus, quam  
 præsens certas quasdam ob causas mutationibus subjacet: qua-  
 rum quadam quotidie obvia, & cum omnibus reliquis speciebus  
 communes quasi sunt, quadam verò sibi proprias vendicat: illæ  
 sunt Magistratum paucitas, quæ plerunq; reliquis est invidiosa;  
 item ignominia & contumelia in alios, quam nemo honoris, nemo  
 gloria, nemo laudis cupidus facile tolerare potest. Non minimam  
 etiam mutationum turbarumq; causam in Rebuspub. exhibet,  
 quando ad munera atq; officia publica exclusis bonis mali atq; in-  
 digni evehuntur, quando imperij clavum tenentes, non se liberis,  
 sed servis imperare arbitrantur, eoq; contumeliosius, cives ac sub-  
 ditos suos tractant, quæ res maximè exosos homines reddere, nec  
 injuriã consuevit. Quæ enim quasò bellua, qui vermis, quod inse-  
 ctum reperitur, quod se despiciatui haberi conculcariq; facile patia-  
 tur? Quod si dubium tibi est, provoces modo canem, mordebit;  
 vexes Cattum, unguibus sese ulciscetur, Formicam, (quæ  
 nescio, an quod minus reperiatum insectum) irrites, impunè neu-  
 riquam abibis. Quod si igitur animalcula hac ratione ca-  
 rentia contemptum ferre minimè queant, quid est, quod hominem  
 ipsum æquo perpeti animo debere arbitremur? Quid ego nunc am-  
 bitionem & superbiam memorem? an non ad tumultus excitan-  
 dos proclives, propensi ad seditiones movendas illi conspiciuntur,  
 qui aut alios honore affici agrè graviterq; ferunt, aut ita sunt in-  
 flati, ut si vel latum, quod ajunt, unguem aliis cedere jubeantur, ad  
 rixas, contentiones, discordias, seditiones & arma illicò decur-  
 rant, nullam publicæ tranquillitatis rationem habentes. Experta  
 B 3 hoc est

5. Polit.





hoc est Respublica Romana, cum Pompejus parem, Cæsar superiorem ferre non potuit: quid inde consecutum sit, commemorare super sedeo, cum res nota sit & aperta. Sensit idem Atheniensis Respub. in qua Themistoclis, Periclis, Cimonis, Nicias, Cleonis, aliorumq; ambitiosa simultates in publica tandem mala, conversæ sunt.

Restant verò adhuc aliæ & magis propria mutationum Aristocratiæ causæ, quas vulgò asserre solent: quando nimirum aurea illa rerum conservatrix, virtus puta, contemnitur: quando saluberrimæ leges vetustæ, novis periculosis abrogantur, quod ut periculosissimum, ita regnis quoq; perniciosissimum esse nemo non videt. Non minorem etiam interitui ansam præbere dicunt nimiam opum affluentiam, utpote quæ homines, tum in securitatem, tum in ignaviam ducunt: qua quid imperijs sit perniciosius vix scio, quæ, ut Poëta ait, Perdidit Reges, prius & beatus perdidit urbes. Quid (ut Sardanapalum, Commodum, Caracallam & alios latere nunc ignavos patiar.) quid, ergò, in causâ fuit, ut sub Tiberio Armenia à Parthis, à Sarmatis Mysia occuparetur? Nonne Tiberij negligentia hoc fecit? Atq; ubi hæc pestis dominatur, nemo etiam legibus obtemperat, sed impune qualibet sibi licere æstimant, unde fit, ut levia quoq; delicta impunita relinquantur. Atq; has vicissitudinis causas Aristocratiæ sentire cogitur. Sed nec Monarchia suis, quibus ad nihilum redigitur, causis destituitur. Princeps ille Philosophorum Plato, fatales regnorum, & præcipue Monarchiarum, periodos ac conversiones assignat numeris. Hujus autem sententiæ, ut & in alijs multis, præstantissimus ille Philosophorum, Aristoteles adversatur, totusq; in eo est, ut eam refellat, & labefactet, idq; his fundamentis, quia numeri, qui res Mathematica, in rerum existentium interitum agere nequeunt: quia Respublica, & ordines civitatum à voluntate humana dependent: quia plurimum sic divina providentiâ detraheretur: quia divinis oraculis fides derogaretur: quia vitæ humanæ periodus certa

g. Polit.



*dus certa definiri nequit. Quibus primò refutatis, alios magis ad rem facientes enumerat injustitiam nimirum, metum, contemptum, avaritiam, ambitionem. Cur enim Roma Tarquinij regno exciderunt, & Reipublica mutata forma est? quia Pater Sacerum suum Servium Tullium insepultum abjecit; judicia non ad jura aut leges, sed ad mores suos retulit. Pœna metu ab Artabano interemptus Xerxes, Persarū Rex potentissimus fuit. Sardanapalus fœminam habitu mentitus, ignavus, luxui ac libidinibus deditus, degens cum scortis, spretus à suis, rogo in regia extructo, incendio se dedit. Darij postremi Regis Persarum superbia quanta extiterit, vel inde colligi potest, quod gemino pralio victus ab Alexandro Magno, amissis etiam liberis, Vxore, & Matre, quæ hostis in potestatem venerant, superbe ad Alexandrum Magnum scribens, ne Regis quidem nomine dignatus est. Prætereo Contemptionem nunc etiã maximam Rebuspublicis afferentē perniciem: Hac enim est, quæ Thebana Reipub. exitium attulit: Megarensē delevit: Syracusanam extinxit, Corinthum evertit: Iulium Casarem, Brutum, aliosq; armavit. Sed nec minus avaritia interitui causam præbere videtur: siquidem ea est hominum pravitas ac perversitas, ut nulla alia de re dies noctesq; cogitationes magis suscipiant, quàm ut referta frumentis horrea, cellas dolijs redundantes, arcas nummis repletas habeant. Queritis, quid Galbam, quid Mauritiū, quid Phocam, quid alios de solio deturbaverit: deturbavit avaritia. Scire avertis, quid magnos tumultus & seditiones in Reipub. Romana excitavit? excitavit avaritia. Cognoscere cupitis, quid innumera regna, provincias, urbes deniq; funditus everterit? evertit avaritia. Quod si urbs invictissima Roma vocem posset emitte- re, anteq; oculos ipsius avari illi deterrimi consisterent, nonne hoc pacto loqueretur? Ego illa plurimis trophæis ornata, triumphis ditata certissimis, clarissimis locupletata victorijs per vestram sum, ô Verres, ô Rulle! ô Catilina! avaritiam  
 ad eum,*



ad eum, quem videtis, statum redacta; quam dolis malitiosa Carthago; quam viribus pollens Numantia; divitiis florens Corinthus, labefactare non poterat, eam vos opum ardentes cupiditate penè delevistis. Harum opinionum pro authorum variorum diversarum diversitate, alia plus, alia minus absurditatis habent. Et licet hæc ad verum aliquando scopum colliment; nullus tamen veram & genuinam causam eruere potuit. Orationis itaq; velum paulo latius expendentes rectissimum tenere cursum conabimur, si tamen erroneas prius opiniones, quantum quidem iudicio nostro assequi possumus, paucis refellerimus.

Et quidem, quod eorum attinet sententiam, qui temerè ac fortuito, nullo vel ordine, vel consilio & oriri & extinguere Respublicas autumant, cuius sententia Epicurus ille fuit, qui statuit; quod æternum beatumq; sit, id nec habere ipsum negotij quicquam, nec alteri exhibere. O delirantem Philosophum! o personam hominis, non hominem! o dogma perversum; flagitiosum, impium & καλῶς potius, quàm refutatione longè dignum. Tollite enim cervices vestras, & Solem, Principem reliquorum errantium siderum, intuemini; hunc ne temerè aut casu cæli globum duodecim mensibus ambire putatis? tantumve tribuere quisquam fortune potest, ut casu hæmali tempore brevissimos, æstivo longissimos fieri statuatur? ex brutis bruta casu, ex hominibus homines generari posse credibile est? casu ne nos æstate Solis fervor torret, hyeme frigora constringunt? casu ne innumerabilia alia semper, vel plerumq; eodem modo eveniunt? nemo opinor affirmabit, nisi fatuus, cæcus, rudis, iners sole & sale conditus Philosophia non fuerit. Et nimirum hæc mundi compages pulcerrima vel opus vel ludus esse dicitur: cui illa priora si collata fuerint, non majorem cum ea similitudinem gerere inveniantur:

Simia quàm similis, turpissima bestia nobis.

Secundam



Secundam qui propugnant opinionem experientia praesidio freti, certos quosdam annorum limites constituere videntur, quos transilire imperia nequeant: Nescio sane, quid vitio illis potissimum vertam, cum omnia fere futilitate laborent: tota eorum nutans, vacillans, fluctuans, incerta determinatio, annum nunc quingentesimum pronuncians, nunc ducentissimum, nunc quinquagesimum, nunc septingentesimum metuendum affirmans: his ipsis alia nasci solere, alia denasci, alia incrementa, alia decrementa capere putans. Vnum horum, si, ut ita dicam, quatio, ad alterum confugient. Iuvabo igitur potius & hanc scalam gradibus aliquot augebo: ipsi interim videant, dum certis imperia conantur includere cancellis, quibus frenis orationis cursum inhibeant eius, quae annos colligens eos, quibus titubarunt, perierunt, ceciderunt, Resp. infinitum numerum eorum repererit. Annum nempe duodecimum fatalem dicam: cum hoc Alexandri Magni Monarchiam in quatuor partes distraetam historia testentur. Ut jam nihil de Vandalorum in Africa regno, quod anno 96. ab ortu suo extabuit, dicam: nec mentionem etiam 12. Palatinorum faciam: Silentio etiam reliquas per multas Respub. involvo, quarum annos climaetericos (ut vocant) in unum si colligerem, nulli tam essent alti nemorum apices, ad quos non conscenderem.

Quid de illis dicam, qui caeli constitutionem Imperijs praesse censent? Concedam sane, Imperijs certis praesse, quae errantia vagaque sidera vocantur: Num autem inde efficietur, virtutes haec eadem, vitiaque dispensare? nihil minus. Nutricula virtutis est labor & exercitatio, id quod exemplis, si temporis ratio permitteret, quam plurimis manifestum reddi posset: Sed ad alios quoque mihi accedendum, nempe ad eos, qui natura patrociniis sibi sumere non verentur, hac potissimum adducti ratione: Hac est, inquiunt, non scripta, sed nata lex, ut quaecumque in hoc mundo nascuntur, ad lapsum ferantur, interitui & excidio obnoxia sint, nihilque in

C

hilque in



hilq; in hac rerum universitate firmum, constans, stabile, aeternum reperiatur. Huic sententiae haud gravatim subscriberem, si DEVM authorem & moderatorem naturae, hujus esse legis latorem Christiano more, non autem ipsam Naturam agnoscerent: cum hoc decretum etiam apud Regium illum Prophetam reperiatur: Tu Domine initio terram fundasti, & opera manuum tuarum sunt: ipsi peribunt, tu autem permanes, & omnes sicut vestimentum mutabis eos & mutabuntur.

His igitur causis, utpote ab Ethnicis ac paganis profectis, suo loco relictis, nobis, qui Christiani esse ac perhiberi volumus, diligentius in hujus rei causas inquirendum est: & ut aliquid certi firmiq; de hac questione statuere queamus, ad sacrarum literarum auctoritatem ut confugiamus, necesse erit, utpote quae & Imperiorum longè ante inclinationes, mutationes, conversiones, interitus denunciant; & firmas fixasq; causas notant: & DEVM esse docent, qui invictos Imperatores, potentes Reges, illustres Duces, generosos Comites ac Barones, nobiles Dynastas, florentes Respublicas concedat. Exemplamirum id ostendunt. Annon enim translationem Imperij à Babylonijs ad Medos, ab his ad Gracos, & tandem ad Romanos, digito quasi longè antè Prophetæ monstrarunt? Nonne id quoq; de primæ Monarchiæ conversione ac mutatione affirmari potest? Nonne de hac Esaias vaticinatus est: suscitabo contra eos Medos & erit Babylon illa gloriosa in regnis, incluta in superbia Chaldaeorum, instar subversionis, quæ facta est in Sodoma & Gomorrha? Et Ieremias: Capta est in Babylon: Bel confusus: victus Merodach: quoniam ascendit contra eum gens ab Aquilone, quæ terram ejus in solitudinem ponet. Omnium autem planissimum est id, quod apud Daniele scripturam in pariete Balthasaro explicantem, legitur: Numeravit DEVS regnum tuum, & complevit illud: divisum est ac datum Medis & Persis. Quod idem etiam ex libris Mosaicis, præsertim

vero

Esa. 13.

Jerem. 50.

Dan. 5.



verò tribus prioribus Deuteronomij capitibus manifestum evadere potest. Quemadmodum enim DEVS ibi Israëlitis præcipit, de filijs Esau, qui habitabant in monte Seir, ne bellum contra eos moveant, aut eos offendant: nequæ enim dabo vobis (inquit) de terra eorum, quantum potest unius pedis calcare vestigium, quia in possessionem Esau dedi montem Seir: ita etiam adhuc hodie DEVS est sapientissimus ille & æquissimus regnorum & principatum, imò etiam privatarum facultatum dispensator: is est, qui & constituit & mutat Imperia: favore atque gratia singulari principes rebus præficit, ab his vicissim, si vel in ipsis, vel subditis peccata ac delicta multa magnaque deprehensa: reprehensa quoque, correctæ minimè fuerint aufert. A Domino, inquit Scriptura, Magistratus, ab altissimo potentia. Domini est terra: Psal. 24. & Psal. 50. inquit: meus est orbis & omnis plenitudo ejus: mea est omnis bestia sylvæ, & animalia pascentia in montibus mille. Ego feci terram hanc, hominem & animalia, quæ sunt in superficie terræ, potentiam meam magnam, & brachio meo extento, & dedi eam, cui rectum fuit in oculis meis. Nunc ergò dedi omnes terras has in manu Nebuchadnezar Babel servi mei, & etiam bestias agri dedi ei, ut serviant ei: & servient ei omnes gentes, & Filio ejus, & Filio Filij ejus. Hic ergò est ille DEVS, qui res humanas in chorcas ducit, mox hunc primo loco, mox ultimo loco collocando, uti patet ex Danielis cap. 2. ipse mutat tempora & ætates, transfert & constituit regnum. Caveamus ergò, ne per fraudes aut violentiam alienis inhiemus possessionibus, sed ijs, quæ ex liberali DEI manu accepimus, contenti vivamus: qui verò suis contenti esse non possunt, aut in vitia incidunt juxta illud Poeta:

——— Locum virtutis deseruit, qui  
Totus in augenda festinat & obruitur re.



*Aut similes sunt teredinibus & araneis : ubi ille , tunc , cum magno sonitu & conatu trabem pervorarunt , emoriuntur : hæc verò , quando suo succu telas contexunt , ita exuguntur , ut in iisdem extinctæ reperiantur. Aut sunt ut Asini triticum in molam portantes & reportantes , interim paleis tantum vescuntur : aut deniq; similes sunt Suibus pinguedinem contrahentibus ac cumulantibus : quibus maçtatis cum gaudio farcimina inter vicinos distribuuntur : sic etiam multorum bona inter hæredes , ubi postea risus est sub persona fletus.*

*Causse verò , propter quas DEVS tales in Imperijs mutationes permittat , non aliunde rectius , quàm ex sacris literis , indicari poterunt. Ac sub initium quidem non levem hujus rei causam maledictio Parentum præbet. Cum enim Parentes liberis suis ob delicta ipsorum maledicunt , plerunq; eas Parentum execrationes in effectum produci sacra testantur historia , quemadmodum id videre est in exemplo Noæ Filium suum Chamum propter delictum in se patratum execrantis : quam maledictionem post aliquod tempus soboles ipsius est experta , dum mox post hanc maledictionem terra Chanaanæ , quæ à Chamo nomen acceperat , Abrahamo & posteris ipsius addicitur.*

*Accedunt post modum etiam vis & rapina , cuius rei exemplum habemus , quemadmodum ex Glyca refert Reinerus tom. i. syntagmatis historici , in Chanaanæ , Chami Filio , qui cum animadvertisset , terram Libano vicinam fertilem esse , suâq; meliorem , post divisionem inter Noæ liberos factam , per vim hanc ipsam rapuit , ac posteros ex eâ Semi eiecit , quo factum , ut universa illa promissionis terra Chanaanis regio vocaretur.*

*Omniùm aut em aliarum , propter quas mutationes ac conversiones in Imperijs accidere solent , causarum fons & origo quasi est blasphemia & Impietas : sicuti Dominus per Prophetam Ezechielem minatur , ita loquentem : propterea , quod dixisti ,*  
Euge ,

Ezech. 25.



Euge, super sanctuarium meum, idcirco ego trado te Filiis Orientis in hereditate, & collocabunt palatia sua in te, & comedent fruges tuas, & bibent lac tuum præ aliis autem multis luculenter hoc testatur Vrbs Hierosolymitana propter impietatem & blasphemias solo æquata: quæ historia cum unicuique vestrum satis superque liqueat, hæc non de ea pluribus agam: & sic orationi meæ terminum figam ad littus maturè proram advertens, ne cum ipsa loquendi magnitudo in altum mare cymbam provexerit, agrè ubi voluerim, in portum perveniam.

Audivistis ergò hæcenus auditores, crassâ (quod ajunt) Minervâ veras mutationum & vicissitudinum in Imperiis causas enumerantem, & errores eorum, qui partim natura, partim casu, partim annis climactericis, aut etiam Astris mutationem Imperiorum adscribunt, refellentem: quomodo id ad finem perduxerim, vobis judicandum relinquo. Si quid omiserò, aut ita accurate & diligenter non tractaverò, dabitis quæso veniam, & id ingenij mei imbecillitati adscribetis; eruditio enim tenuis & usu nondum confirmata id fecit. Ut enim non uno concussu è silice ignis elicitur, ita vis eruditionis & prudentiæ percipiendæ in frigido pectore latens & languens non statim incenditur. Id unicum spectavi, ut sceptræ & habenæ omnium regnorum ac Imperiorum soli Deo omnis boni fonti & auctori, vindicarentur. Rationes, cum è fontibus Israëlitis sint haustæ, apud vos locum inventuras esse minimè dubito. Interim grato hoc animo agnoscendum & utraq; quod ajunt, manu collaudandum, ingens Dei præpotentis beneficium, omninò censeo, quod luctuosis & postremis hæc temporibus, Respublicas, Regna, Imperia, in quibus sancto cum Evangelio suo, atque verbo cælesti habitat, sibi que Ecclesiam colligit, conservare, defendere, tueri non dedignatur: eumque, ut id in posterum quoque facere non desinat, devotè ac religiosè rogamus.

D I X I.





A D

*Iuvenem & Genere, & Doctrinâ Nobilissi-  
mum, nec non præstantissimum*

**Dn. HEINRICVM à GEIS-  
LER de Steinsdorff equit. Sil. amicum  
longè charissimum.**

**D**icitur felix meritò, parente  
Qui fatus claro, rutilans vel aurum  
Ferreâ magno numero reclusum  
Possidet arcâ.

Dicitur felix pariter, supremum  
Tendere ad culmen Sophiæ cupit qui,  
Et probam ob vitam satagit celebre  
nomen apisci.

Sed magis felix, celebrisq; is ipse est:  
Quem vetus clarat genus, atq; linguæ  
Flumen; & morum lepidum suavus  
gratia honestat.

Ergò, dum Musas vigili labore  
Percolis, magnum generi paterno  
Adiicis punctum, bone amice, captum ô  
Numina firment.

Gratulor capto; nihil extimesce,  
Si mali culpent penitus; modo isthoc  
Æstiment quicquam (sat erit) probentq;  
Candidi amici:

Perge, ceu captum est, alacri pudicis  
Artibus curâ invigilare posthac.  
Nam benè has quondam didicisse multum,  
crede, juvabit.

*Lubens meritoq; facieb. VVitebergæ.*

**Conrad von Niemiß.**

IN ORA-





I N O R A T I O N E M

*Nobilissimi & doctissimi juvenis,*  
**HENRICI GEISLERI,**  
*amici dilectissimi.*

**O** Bvia facta cohors oculis inopina Dearum,  
Obversis retinens vultibus ora stetit.  
Hymnides hinc, florum variato tegmine; Oreas;  
Undarum dominæ, Naiades; hinc Dryades.  
Creditor in citræis doctas legisse figuras:  
Atq; amor hærendi nescit habere modum,  
Dum fuscis inhiant oculis, & litera pectus  
Intrat: de solita Suasio sede venit.  
Quæ mentes, ait, æthereas miratio cepit?  
Respondant: taceas, acta furore volens.  
Suadam Suada vides: sobolem nunc clara secundam,  
Conceptam gelido vertice, Maja dedit.  
Subridens cœpit: genium jactatis alumni:  
Præcellens tanto munere dono meos.  
Dedecus erroris detergite nomine Divûm:  
Dicite: fas hominis tollere primitias.  
Talibus exactis: prædixit ab ilice cornix:  
Ignaris mentes omnibus eripuit.  
Interim adest avium linguæq; interpres Asylas,  
Consultus volucris dicta sinistra docet:  
Quo pede cœpisti, pergas, HENRICE, per illum  
Surges: firmabit numine cœpta DEUS.

*Olaus Rose-cranzius*  
*Danus.*

Durities



**D**urities ferri crebro consumitur usu  
Limaq; per latum dissipat æra solum.  
Tempore depereunt jaspis viridesq; smaragdi,  
Quos juxta Eoas colligit Indus aquas.  
Quos zephyrus flores clementi sydere fovit,  
Horrifera bacchans grandine sternit hyems.  
Cuncta potest subito fugiens mutare vetustas:  
Cur igitur semper regna vigere finet?  
Ut non una fuit, sed plures, bestia Vatis,  
Illarum & varijs visa figura notis.  
Nam leo surrexit primùm, exin pardus & ursus,  
Ultima ferrato bestia dente fuit.  
Sic neq; perpetuo rutilabit fulmine regnum,  
Nec vultus regnis omnibus unus erit.  
Laus tibi debetur meritò GEISLERE, quod illud  
Expandas linguæ nobilitate tuæ.  
Sicne hominem frænas, ut cristas ponat, ad astra  
Clamans, à summo sunt data regna DEO.

*Palæmon Rose - cranzius Danus.*

**P**osse loqui promptum cuivis natura reliquit,  
Dicere solius Martis & artis erit.  
Ritè ergò GEISLERE facis, dum dicere cordi.  
Jucundum, potius quàm finis esse loqui.  
Maçte animo: Sic Musa viâ hac te ducat ad alta  
Gentis ut ELISLÆ luxq; decusq; sies.

*Claudius Plumius Haff. Danus.*

**F I N I S.**



Gb 777. I

800

ULB Halle 3  
 001 618 563



Sb.

EX LIBRIS  
 ILLVSTRISSIMI VIRI,  
 DN. DAN. LVDOLPHI,  
 LIB. BAR. de DANCKELMANN,  
 S. REG. MAI. BORVSS. CONSILIARII  
 STATVS INTIMI, cetera,  
 BIBLIOTHECÆ ACAD. FRIDERICIANÆ  
 TESTAMENTO RELICTIS.

VDT

104

In splendoribus singularis imo celestis hominis filia






nomis sub tanta vniuersalitate  
solentur reuocantur de regione  
quonia. **H**odie cadet pulcherrima  
filia populi sui & omni patris obliu  
scita a sancti spiritus micata sed igne  
materiali consumata. **H**ierem cor dicit  
ad fidem inclinauerat sed iam in  
perguntando deitros amplexus v  
deat qd respicit eius concupierat  
in illa iunamur & filia audierat  
quia celestis pater illa vt reuerret  
in uocauerat **S**ancto igitur narcho  
in predicante factum ad mensam pa  
tris redit. **E**t cum illum cui male  
adheret deseruit. **E**t que centum ca  
dos olei dno suo redere debuit.  
**A**ccpta cautione sacramentorum  
scribit sibi quinque & promeruit  
esse illa **S**ic multi in retroactis era  
ribus redire a suis errantibus. **S**ic ma  
na magdalena sic mulier illa chana  
naa **E**t per postquam negauerat  
redit. **E**t paulus xpi voce pstrat  
resipuit. **M**arthe a theloneo ipius  
pris redit p conio. **E**t sacheu lico

**C**us qui hunc di  
rati verbum transt  
cruas ad eum missa  
is voce coniecta  
mus: vt dumis pati  
ant formam: qui bec  
in eam fieri precepit  
is dominus noster  
**H**ic martiris offi  
cipit. **F**olla.  
peccauerunt. **F**olla.  
illa tuam quoniam  
suppente p picius  
que te impudice de  
maris maria ma  
de locarumqz eius  
saltequatur.  
**D**onati martiris  
**V**na condicione







B.I.G.

Farbkarte #13

Blue Cyan Green Yellow Red Magenta White 3/Color Black

Inches Centimetres



IO  
RUM  
RVM  
ORUM  
EARUN-  
ILLUSTR  
GENSIUM  
& recitata

GEIS  
LI SI

i, Anno  
107.

G Æ,  
, Anno Christi  
I I.

13

13

